PETRUS DE ARBONA. ENGELBERTUS ADMONTENSIS
Admont, 1380 Seite 1r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26922
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Incipit prologus in annotacionem omnium librorum admontensis cenobij. ¶

Obedientia Bibliothecarij in cenobijs quem nos armarium vocamus. bibliotheca est. Age igitur ut tu qui in cenobijs armarius constitueris rem tibi commissam plenius scire possis. primum vide de nomine rei tibi commisse. Bibliotheca tibi commissa est. Bibliotheca compositum est ex biblo. et theca. Biblus nomen iunci est in quo antiqui scribere solebant. Unde per scriptura metonomice accipitur. scilicet per efficiens id quod efficitur. Proinde et a quibusdam divine scripture biblene gaze appellari solent. Gaze dicuntur quod in hijs omnes thezauri sapientie et scientie dei continentur. Theca vero grecum est et interpretatur repositio vel custodia librorum. Bibliotheca igitur librorum repositio. vel librorum custodia interpretatur.

Ipsum igitur nomen officij tui docte quid sit officij tui idest libros custodire et admonet te metipsum. si vero negligens fueris negligencie te nichilominus coarguit. Prima autem diligencia armarij studiosi esse debet ut suo tempore bibliothecam sibi commissam inquantum potest augere operam det. Huius rei exemplum habet. non nullos bibliothecarios tam divinos quam gentiles. Apud iudeos Esdras scriba post legem achaldeis incensam. dum iudei ingressi fuissent in ierusalem divino afflatus spiritu. cuncta legis et prophetarum volumina. que fuerant a gentibus corrupta reparavit. correxit totumque vetus testamentum in novam bibliothecam collegit. apud nos vero pamphilus martyr tuius vitam eusebius cesariensis conscripsit. in bibliotheca sua prope. xx. milia voluminum habuit. Ieronimus quoque noster utrumque testamentum de greco in latinum transferens ecclesiasticosque scriptores in toto orbe